



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De bello aduersus infideles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

tectionem & iurisdictionem sunt quidem distinguenda tria... quorum quodlibet ab altero differt. dominium iurisdictionis... dominium locorum pertinentium ad vniuersitatem... dominium ipsius vniuersitatis... quod potest contingere absque iurisdictione circa aliquos castri, ciuitatis, & prouincie territorium, & eius terminos. hoc vero penes ipsam vniuersitatem est, eiusque rectori: nec repugnat dominio particulari priuatorum, qui possunt habere intra hoc dominium particulari priuatorum, partem aliquam agrorum quorundam, & prouincie, & a dominio iurisdictionis, & a dominio vniuersali distinguitur: tamen comprehendit dominium vniuersale ad similitudinem priuatorum habentium, quod vniuersitas ad similitudinem priuatorum habet: in aliquo locis & rebus, potest enim domus, aut vinea ad ciuitatem pertinere iure eodem, quo ad priuati dominium spectat, quod eleganter explicat Socin. in l. 1. n. 27. ff. de iur. iur. §. de iur. iur. 15. expressim consilio. 95. col. 4. lib. 3. deducitur idem a regis constitutionibus l. 10. tit. 29. par. 2. l. 45. & 9. tit. 28. par. 13. His suffragatur Seteca l. 7. de beneficiis, scribens, omnia regem imperio possidere: singulos dominio. sic de quoque si Bart. intellexit, Imperatorem esse totius mundi dominum primo domino, premissa communi Doctorum opinione, palam est, verum dixisse: item si de dominio secundo sentit, adhuc eius assertio vera est: quatenus Imperator rector est communitatis, seu vniuersitatis: nam & hac ratione videtur, quod is habeat dominium rerum pertinentium ad vniuersitatem, vt communitatem, saltem ratione administrationis quod si Bartol. de tertio dominio intellexit, plane eius opinio adeo falsa est, vt a nemine iure defendi valeat, atque ita ego existimo Bartolum de hoc tertio dominio minime sensisse, dum scripsit Imperatorem vere totius mundi dominum: Eandem fere domini distinctionem tradit Paul. Cast. cons. 56. n. 2. vol. 2. quibus & illa sunt adicienda, quas nos ex Hygino adnotauimus in regul. possessio. 2. part. §. 2. numer. 1.

Postremo ex prenotatis apparet iustissime posse aliquot Christiani orbis principes immunes esse a suprema Imperatoris iurisdictione. Nam vt regem Gallorum pratermittimus, de quo ab aliis satis tractatum est, constat Hispaniarum reges a Imperatoris iurisdictione liberos, & exemptos esse, vel ex ea ratione, quod Hispanias maxima reipublice infelicitate ab Arabibus occupatas, ipsi Hispaniarum reges absque vilo Cesarum auxilio, immensis laboribus, periculis, & impensis, effuso per septingentos annos proprio, & subditorum sanguine, a Christiana religionis hostibus liberauerunt, & exemerunt: vnde merito a Cesarum imperio, quo in huic laboribus destituti fuere, censentur exempti. vbi in cap. Hadrianus. 63. dist. Oldrad. in cons. 69. probat text. vbi gl. in c. si necesse. de donat. inter virum & vxor. tenet Io. Lup. in introductione ad repetitio. de donationibus. n. 18. Gaspar. Lusitan. in Imperium. ff. de iur. iur. omnium iud. fol. 7. plura ex hoc inferetes, sentit predictam rationem Regia lex 18. tit. 5. part. 1. cui & alia ratio addi solet. quod ab Honorio Imperatore fuerit Hispania libera & immunita a Cesarum imperio donata Gotthis quemadmodum in hac specie tradit Ioannes Lupi. de regno Navar. par. 6. §. 4. & beneficiis vacantibus in curia. §. 8. qui scribit Honorium Alarico Gotthorum regi, Gallias, & Hispanias, quas iam pene perdidit, pro pace optima oranti concessisse, sed & Procopius li. 3. de bello Vandalico, commemorat, conuenisse cum Vandalorum rege Gogidisco, vt sedes in Hispania haberet, modo ceteris habitatoribus Vandali non nocerent, nec prescriptionis iure vti vilo vnquam tempore possent, idque contigit, si ratio temporis habeatur, anno Dominice 412. Imo & prescriptione tempore cuius initium memoriam hominum excedit, Hispaniarum Reges hanc immunitatem acquisisse, scribit Felinus in cap. cum non liceat, de prescriptionibus, & est Communis Opinio, secundum Antonium Corset. in tract. de excellent. regis, quast. 10. Balb. de prescriptione. 1. parte princip. 2. part. quast. 2. & Aymonem in tract. de antiquitat. tempor. 4. par. cap. materia ista numer. 37. quae deducitur Bartol. in dist. leg. hostes. ff. de capis. huic etiam Hispaniarum iuri, & privilegio suffragantur plura, quae pro rege Gallorum concessere Io. Igneus in dispur. Chassan. in considerat. 28. Caroleira regnum Francias, iure 6. pro vtroque Hispaniarum

inquam & Galliarum rege prater alios Castaldus in tract. de Imperator. quast. 53.

Quod si imperator totius mundi dominus non nec est, quo ad protectionem: manifeste fit, ab eo iuste bellum non posse indici gentilibus, & infidelibus ea ex causa, quod infideles parere & obedire recitent Cesaris Imperio, cuius prouincias minime occupauerint, sunt igitur alia causa ex animanda, quae bellum aduersum infideles iustificent.

§. DECIMVS.

De bello aduersus infideles.

SUMMARI A.

- 1 Infideles an possint à Christianis bello impeti, ex eo, quod infideles sint. Insuper à proximis auertenda causa bellum à vicinis suscipi potest, ne ipsi opprimantur à tyrannis.
- 2 Infidelitas non prouat quem iure naturali, nec diuino, dominio rerum, nec prouinciarum.
- 3 Infideles quatuor casibus possunt à Christianis bello impeti. & ibi quod bellum duplex.
- 4 Bellum iure moueri non potest aduersus eos, qui crimina contra naturam committunt.
- 5 An idololatria sit iusta causa indicendi bellum idololatriis.
- 6 Bellum an possit utrinque iustum, & ibidem de iustum ditionis significatione.

S Olet à plerisque iusta belli causa censei aduersus infideles ipsa infidelitas: quasi ex eo solum quod infideles sint, nec Christianam religionem velint profiteri, possint à Christianis bello impeti: sic sane visum est Hostiensis, & Panormit. in c. quod super his. de voto, Aluaro Palagio de planctu ecclesie, lib. 1. art. 37. litera l. Oldrad. con. 72. Albertino in rub. de herede in 6. q. 8. conclus. 1. & concl. vltim. his plures suffragantur, primum quod ob crimen infidelitatis ab eis aufertur à Deo regnum quod obtinent, & in Christianos transfertur, iuxta illud Matthai. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. & Ecclesiast. 10. regnū à gente transferetur propter iniustitias. quod ad omnes iniquos & impios, secundum August. li. 2. contra literas Pelitiani, capit. 43. & cap. si de reb. 23. quast. 7. Secundo diuus Thomas. 2. 2. q. 66. artic. 8. ad 3. dum scribit, infideles res suas iniuste possidere in quantum eas secundum leges terrenorum principum amittere iusti sunt, & ideo ab eis bona possunt per violentiam auferri publica auctoritate, non priuata, haecenus Thomas. Ergo bellum licite eis inferitur. Tertio, licet infideles cogendi non sint armis, & vi Christi fidem suscipere, cap. de Iudaeis. cap. qui sine ea. 45. dist. 1. cap. si de Iuda. notat prae ceteris diuus Thomas. 2. 2. q. 10. artic. 8. quod in loco illud Luc. 14. compelle intrare, non de his, qui nunquam Christi fidem susceperunt, intellexit, sed his qui semel Christianam fidem professi ab ea diuertunt. Potest & ille locus intelligi de coactione, quae persuasionibus fit: qua de re tractat prae alios Ioanes Arboreus li. 1. Theosophiae. cap. 36. tamen tenentur infideles sub mortalibus culpa reatu fidem Christi sibi predicatam, magnisque rationibus, & argumentis propositam: & probatam suscipere, & profiteri: sicut docet Thomas. 2. 2. q. 10. art. 1. ergo irreuerentiae, & iniuriae peccatum, fidem sibi predicatam detracentes in Deum Iesum Christum committunt, sed ratione auertenda iniuriae, à proximis possumus bellum iure gerere, ne ipsi opprimantur à tyrannis, iuxta notat. in c. quantae. de senen. ex com. & in cap. dilecto. eodem tit. in 6. l. culpa caret. ff. de reg. iur. l. 1. §. sed in eo. ff. ad Syllan. pulchre Ambrosius lib. 1. de off. c. 27. & 36. c. fortitudo. & ca. non inferenda. 22. q. 3. notat in hac specie. Caietan. in 2. 2. q. 40. art. 1. ver. in eodem art. ad idem illud: scribere pauperem, & egenum de manu peccatoris liberare: ratione igitur fortiori bellum erit licitum ad propulsandas iniurias, & offensas, quae diuini maiestati per infideles non accipientes eius fidem & religionem irrogantur.

Quarto his accedit, quod diuus Gregorius li. 1. epistolarum. 73. epistola ad Gennadium scripsit. & c. si non ex fide. 23. qu. 4. mire laudans bella, quae Gennadius gesserat aduersus infideles dilatandae causa reipublice, quatenus Christi nomē per subditas gentes fidei praedicatione circumquaque discurreret. quibus sane verbis probatur, licite geri bellum à Christianis aduersus infideles, eo ipso quod infideles sint, vt tandem domiti, & iugo Christianorum subditi praedicatione legis Euangelice accipiatur, & patiatur libere exerceri.

Sed nihilominus sit hac in re conclusio, quam vtiore esse censemus, bellum aduersus infideles ex eo solum quod infideles sint, etiam auctoritate Imperatoris, vel Papae iuste indici

V u indies

audierunt? quomodo autem audient sine predicante? cum infideles eam legem sibi predicatam accipere recusant, grane scelus & peccatum in humani generis redemptorem committunt, quod paulo ante explicuimus: sed hac ratione bellum aduersus ipsos infideles iustum non est. At si dixeris hoc bellum esse punitiuum, profecto id geri à Caesare non potest in Infideles, qui Caesaris imperio subditi non sunt, quo ad temporalem iurisdictionem: cum sit iurisdictione necessaria ad punitiorem secundum ea, quae modo tradita sunt. Nec re auctoritate Romani Pontificis, qui in infideles iurisdictione non habet temporale, nec spirituale, nisi quatenus ea necessaria est ad Christianam reipublicam quietem, & utilitatem. Scribit etenim Paulus 1. ad Corinthios c. 5. si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut maledicus, aut ebriofusus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumite: quasi dicat Apostolus, secus autem si non sit frater, illum enim non debetis punire, & subdit ratione. Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? nonne de his, qui intus sunt vos iudicatis? Haec Paulus, ad cuius interpretationem scribit Hieronymus, Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit, & Thomas inquit, quod praetati acceperunt potestatem super eos tantum, qui fidei se Christianae subdiderunt. Sic sane post huius operis secundam editionem legi Dominum in 4. sent. dist. 5. q. vnic. art. 10. hanc ultimam opinionem probantem.

Quid autem de Idololatria, an ea sola sit causa iusta iudicandi bellum infidelibus? & probatur eam esse iustam belli causam auctoritate diuina, c. 2. Deuteronomij, ubi constat, ob hanc causam Deum praecipisse filiis Israel, ut gentes plurimas subuerterent, & dissiparent. quod ita praecipitum est secundum Nicolaum à Lyra, ne ex templis idolorum remanentibus & illis ritibus occasio idololatriae Indaeis daretur: tanquam Dei iniuria in populo suo vitaretur. atque ita hanc esse iustam belli causam doctissimus vir Alfonso à Castro censet in lib. 2. de iust. haeret. punit. c. 14. idem adnotari & colligi potest ex Aluaro Pelagio de planctu. eccles. lib. 1. art. 37. col. 5. quibus suffragatur Thomas 2. 2. quest. decimas, artic. vndecimo, dicens ritus infidelium esse tollendos, & inibi dum hoc scribit, non de ritibus Iudeorum, sed de ritibus aliorum infidelium intelligit. Hec vero si quis pensiter diligenter, reperiet locum illum Deuteronomij esse intelligendum propter speciale, & expressam Dei iussionem. Potuit omnipotens Deus gentes illas punire, & ab eis provincias, & bona propter eorum peccata auferre: quam diuinam punitiorem imitari non debent principes humani, qui ius puniendi non habent in alios, quam sibi subditos. Praesertim quod Deus illam provinciam filiis Israel promiserat, & ne idolorum templa eis nocerent, iussit ea destrui & radicibus dissipari. deinde idololatria, quae gentes illas utebantur, non erat simplex, sed mixta cum occasione innocentium: nam & filios idolis sacrificabant: unde ad subueniendum illis innocentibus, qui iniquissime occidebantur, quorumque sanguis clamabat à proximis auxilium petens, iuste potuit illis gentibus bellum iudicari: potuisset quidem etiam auctoritate humana & publica. Quod autem Diuus Thomas scribit in d. art. 11. intelligendum est de ritibus Infidelium habitantium inter Christianos in provinciis ipsorum Christianorum, vel cum infidelium ritus, & idolorum templa, ac sacrificia praestant impedimentum religioni Christianae, & eius praedicationi. factor plane aduersus gentes idololatrias iuste quidem bellum geri, si monita nolint abstinere ab idolorum cultu, quoties impedimentum affert religioni Christianae & legis Euangelicae praedicationi. At quod ob ipsum peccatum idololatriae vel ad tollenda idola, quae non sunt impedimento legis Euangelicae praedicationi: quia fidei catholice praedicatione, eiusque diligenter à viris catholicis sanctitate, & moribus, ac doctrina praeditis, instructione praemissa, idolorum cultus tolli poterunt: bellum licite contra idolorum cultores, gentesque idololatrias geratur, dubium certe videri potest. Nam iustitia huius belli vel est propterea quod ipsum crimine idololatriae priuet gentes ipsas domini rerum & provinciarum: & haec ratio falsa est: vel ideo quia liceat offensam, & iniuriam Diuinae Maiestatis illatam hoc idolorum cultu bello vindicare: & id non sufficit aduersus eos, qui foris sunt, hoc etenim Deus punit secundum Hieronymum de 2. ad Corinthios. Ad defensionem autem hoc bellum non pertinet: cum tantum trademus an ob ipsum idolorum cultum liceat indicare bellum his qui fideles nullam iniuriam fecerunt: & ideo non agitur in hoc bello de defensione. Quod si dixeris esse

bellum punitiuum: profecto id non pertinet ad eos, qui nulli in has gentes punitiōis ratione iurisdictionem habent: quae quidem punitio iurisdictione exigit, etiam in idololatrias, quia hoc crimen minime Christianis submittit eum, qui foris sit, quod constat ex ipso diui Pauli testimonio manifeste probante non esse à nobis iudicandum eum, qui foris sit, tamen si is idolis seruiat. Hec denique adduximus aduersus priorem sententiam, quae fortassis, ab his obiectionibus doctissimorum virorum ingenio, & iudicio facillime defensa potiores partes obtinebit. Posteriorem tamen opinionem, quam nos defendimus, sequitur, & probat Dominus. Sotus in 4. dist. 5. q. vnic. art. 10.

Solet hoc in tractatu examinari, an bellum esse possit ex utraque parte hostium iustum. Nec tamen iustum hic accipio in ea significatione, secundum quam sepius à Tito Luito & aliis authoribus dicitur iustum praelium, iusta acies, iustus miles, iustum exilium, id quod omni ex parte plenum est, omnibusque numeris perfectum. Sic Iurisconsultus appellat iustam hereditatem in l. 3. ff. pro socio. eam quae legitimo, ac plenissimo iure obueniat: quod eleganter Budaeus ibi explicat. Sic & Hispani iustam vestem dicimus, quae ita corpori apta sit, ut nihil ei desit ad ipsius corporis mensuram. sed hic dictionem istam adsumimus pro eo, quod rationi, iuri, & aequitati, ac iustitiae conuenit. & Alciat. lib. 2. Paradox. c. vltim. post Fulg. in l. ex hoc iure. ff. de iustitia & iure, censet, bella utrinque posse licita esse idque multis probat contra Dd. frequentissimam sententiam. Ego sane quantum ad rei veritatem & certitudinem ipsam falsam esse censo, quod Alciat. adnotauit, communemque sententiam probo. Nam cum hostes contrarii sibi sint, contraria iura necesse est habeant: quorum vnum iustum sit, alterum vero iniustum. Nec enim ex duobus principibus bello pugnantibus ob aliquam provinciam quam quilibet eorum sibi propriam esse censet, in veritate potest uterque iustitiam habere sibi fauorem: siquidem is iustam habet causam, cuius ea provincia propria sit: ex quo necesse est quod alter iniustam causam foueat: cum contraria haec duo sint, iustum & iniustum. unde plane illud mihi constat, non posse quo ad veritatem iustum bellum utrinque esse, opinione vero potest bellum ex utraque hostium parte iustum esse. Nam etiam si apud alterum tantum vere existat iustitia belli, bona tamen fide alter bellum id gerere potest existimans iustissima ignorantia se iustam fouere causam. Atque in huc sensum probari potest quod Fulgo. & Alciat. voluerit unde Abulensis Josue cap. 11. adnotauit bellum illud, quod Iudaei gerebant aduersus Amorrhæos, & ceteras gentes ex parte Iudeorum iustum esse propter Dei voluntatem, quae eis erat manifesta: & itidem ex parte Amorrhæorum, qui iusta ignorantia ignorantes hanc diuinam iussionem se defendebant ab aggressionem Iudeorum: eaque ratione existimabant se bellum iustum gerere. Hec de iustitia belli compendio quodam praenotauius, quo facilius intelligi valeat qua ratione capta in bello, vel efficiantur capientium, vel sint omnino in animae iudicio restituenda: quod seq. §. non admodum prolixè tractabitur. solum etenim constituemus aliquot principia, ex quibus haec res longius tradi possit.

§. V N D E C I M V S.

De seruitute captiuorum in bello.

S V M M A R I A.

- 1 Capta in bello iusto efficiuntur capientis, & per totum, & maximo numero.
- 2 Seruitus an sit inducta à iure gentium contra ipsam naturam, late numerat sequentibus.
- 3 Ius naturale an possit tolli in parte, vel ex causa, & ibidem reprehenditur diuisio iuris naturalis in primarium & secundarium.
- 4 Ius gentium qua ratione à naturali iure distinguatur.
- 5 Seruitus aliqua an fuerit ab ipsa natura instituta.
- 6 Capti in bello apud Christianos non efficiuntur serui, & quid Christiani capti à Sarracenis, vel Turcis.
- 7 Res ab hostibus capta, qua prius per hostes fuerant bello quaesita, an sint prior domino restituenda.
- 8 Regia l. pen. tit. 9. part. 5. examinatur.

Ad id vero quod attinet ad restitutionis obligationem eorum, quae in bello capta fuerint, sit constitutum à conclusio. capta in bello iusto efficiuntur capientis. capta autem gentium à distincti à hostes. Et si quid in bello ff. de capti. l. naturale. §. vltim. ff. de acquir. rerum domi. §. in cap. sicut. de iniur. notantur in. 1. in princip. ff. de acquir. possess. vbi Iaf. num. 8. late hanc materiam tractat. eandem conclusionem probat Aristoteles lib. 1. Politic. c.